



2708  
VITA ET RES GESTAE

ILLVSTRIVM  
PRINCIPVM, FRIDERICI  
PRIMI ET SECVNDI, BVRGGRAVIO-  
rum Noribergensium, Comitum in Zollern;  
Elegiaco carmine descriptæ.

IN HONOREM ILLVSTRIS-  
simæ & inclytæ Familæ Marchionum  
Brandenburgensium.

AVTORE  
IOHANNESCHOSSERO  
Poeta Laureato.



VITEBERGÆ  
ANNO M. D. LIX.

FRIDERICVS  
 PRIMVS, BVRGGRAVIVS  
 NORIBERGENSIS, CO-  
 MES IN ZOL-  
 LERN.

Hactenus, ut longis domus inclyta creuerit an-  
 Marchiadum, Musæ dicere cura fuit. (nis  
 Vtq; Columnæ de stemmate ducta, potenter  
 Imperet, & uarijs det pia iura locis.  
 Nunc non summa sequar tantum fastigia rerum,  
 Ordine sed procerum fortia facta canam.  
 Primus in his legitur qui nomine Principis usus,  
 Quem referam dulci carmine, primus erit.  
 Multaq; Teutonicis intexam gesta sub oris,  
 Quæ prius obscuro pressa fuere situ.  
 Est locus, extremo quâ limite Norica tellus,  
 Spectat in Hercynijs robora densa iugis:  
 Lustraq; Sudetum: quorum radice sub ima  
 Iugera finitimus culta Nariscus arat,  
 Illic innumeras inter Pegnesus arenas  
 Voluitur, & sterilem flumine findit humum.  
 Pegnesus celebri qui nomine tangit Olympum,  
 Irrigat & magnas Noridos urbis opes.  
 Sceptra sed Augustus quo tēpore Cæsar habebat,  
 Illius ad ripas accola nullus erat.

A ij Sola

Marchiadum præclara domus ab origine prisca  
 Schofferi referens stemmata, Musa canit.  
 Quam cum alios constet multos celebrasse Poëta,  
 Condidit istiuis carmina nemo modi.  
 Hæc erit ergo tui meriti nunc gratia: primum  
 Nota quod est per te Marchias ipsa sibi.  
 Deinde quod inuenit se dignum tanta Poëtam  
 Nobilitas: quæ laus utraq; summa tua est.  
 Nam neq; tu leuibus posses incumbere rebus,  
 Edere componens tale nec alter opus.

Ioachimus Camerarius F.

Μάρτιος εἶδε πόντος ὄχλους ἐπιβῆ, ἄγνη,  
 ἐδὲ κασιγνήτους εἶπερ ἰοσεφάνοις.  
 αὐθις ἄρ ἔν κήπις βλάστησεν ἀεθαλέσσῃ  
 ἐνχρῶσιν, ἔσοδ' ἰομ, θεσπέσιόρ τε ῥόδοι.  
 σχοασήροιο εἶλην κεφαλῶν, ἐέλυσον ἀοιδῶν  
 οἰδαῖ, ὅρ ἔν κόλπῃς δρέψαμι ἡμετέροισ.  
 παιδὶ εἶλω κρήνης ἐλικωνίδ' ἄγλαδ' ὑδῶν  
 εἰς ἡβην ἀπαλῶν δῶκαμι ἐξ ὄνυχων.  
 ἦδ' ἰ ἡρα φέρων ἡμῖν πάλιν, ἄμμι διδάχθεις,  
 αἰδίδ' ἐμὲ μέγαλον ὄνομα μαρχιαδῶν.  
 ὄλβι, ὅς μοι παῖς κλείδ' ἡρώας ἀγαυοῦς,  
 ἐδὲ τήρ σῶπτερ ῥῆς ἀγαμοφροσύνῃ.

Iohannes Chesselius F.

Sola frequentabant desertas numina lymphas,  
Quæ nemorum latebras & iuga celsa colunt.  
Druse tuus frater, ualido munimine turrim  
Fertur in hoc primum constituisse loco.  
Tunc ubi Tyrigetum bellacibus arma Sueuis,  
Ac tibi Marte potens Roma timenda forent.  
Hic sua castra locans, ingentibus agmina fossis  
Cinxit, & arctoo tutus ab hoste fuit.  
Postmodo sed ualidis armorum uiribus auctus,  
Indixit patriæ tristia bella meæ,  
Et secum Bauaros Gallosq; ad prælia duxit,  
Quosq; uago populos flumine Rhenus alit.  
Non potuit tantas Turingia frangere uires,  
Præbuit at Latio colla premenda iugo.  
Ergo recesserunt coniunctis agmina signis,  
Effera Pannoniæ quò caperetur humus.  
Norica turris erat fugientibus apta colonis,  
Et fossas intra iam locus urbis erat.  
Commoditas placuit, tuti placuere recessus,  
Et subito creuit tempore fama loci.  
Huc igitur mercator opes discrimine belli  
Transtulit, atq; noua ciuis in urbe fuit.  
Huc uenêre uiri generoso stemmate nati,  
Et pictas auro composuere domus.  
At cum nulla queant defendere moenia ciues,  
Qui sine præscriptis legibus illa tenent:  
Constitu

Constituere patres, sanctum legere senatum,  
Subdita cui populi cætera turba foret.  
Nec mora, sanxerunt communia uincula leges,  
Iusticiam studijs & coluere prijs.  
Talibus auspicijs respublica Norica creuit,  
Et meruit primas inter habere locum.  
Hac non ulla magis summis dilecta Monarchis,  
Dum stetit imperij gloria celsa, fuit.  
Carolus hanc Cæsar coluit magis omnibus unam,  
Cui Magni titulum bellica dextra dedit.  
Ceus testantur ibi longos seruata per annos  
Arma, triumphali quæ tulit ille manu.  
Quodq; comis diadema tulit, distinctaq; gemmis  
Pallia, Germanæ sceptraq; gentis honos.  
Sæpius hic traxisse moras fortissimus Otto  
Dicitur, Ausoniam quando petiuit humum.  
Hic habitasse sua cum coniuge Sueuicus heros  
Fertur, ad Euxinum qui mare fecit iter.  
Nec minus Henricus: qui dictus nomine tali,  
Sextus in augusta sede Monarcha fuit.  
Quid referam summa prestante laude Rodolphū,  
Quæ dedit Habsburgæ clara propago domus.  
Ille sibi peperit quum pulsus oia bellis,  
Incoluit muros Noricaberga tuos.  
Hic habuit regni Gazas, hic tempore pacis,  
Distribuit populis iura suprema suis.  
A iij      Stabant

Stabant sublîmi iam tecta minantia cœlo,  
Ipsaq; uix magnas urbs capiebat opes.  
Iamq; Rodolphus erat seris prouectior annis,  
Respiciens uitæ lubrica fata suæ. (cem,  
Quum Dea, quæ gladium gestat libramq; bilan-  
Constitit inuicti Cæsaris ante thronum.  
Et tales dedit ore sonos, præsentē senatu  
Imperij, magno nobiliumq; choro.  
Cernitis, ut celsæ surrexerit æmula Romæ,  
Norica præsidij urbs opibusq; potens.  
At quum sæpe ruant, paruis ingentia caulis,  
Et mala fors firmum nil sinat esse diu :  
Est opus, ut præstans urbem uirtute gubernet  
Rector, in hac partas & tueatur opes.  
Non multos regnare uelim: præclarior unus  
Imperet, & leges ac pia iura ferat,  
Sic etiam tumida resonantis in æquoris unda,  
Nauigij regimen doctior unus habet.  
Dixerat, ambiguas at Cæsar pectore curas  
Voluit, & ingentij uiribus illud agit,  
Ut parere deæ monitis, ac Norica possit  
Tradere præstanti tecta regenda uiro,  
Zolleria de gente Comes Fridericus, & armis  
Inclytus, & blandæ pacis alumnus erat,  
Hunc Cæsar tanto censebat munere dignum,  
Ceu cuius uirtus cognita sæpe foret.

Ergo

Ergo Duces inter residens, proceresq; potentes,  
Talibus alloquitur te Friderice sonis.  
Postq; Teutonici mihi sceptrā potentia regni  
Tradidit unanimes cura fauorq; Ducum :  
Nil magis in uotis habui, quam patria tellus  
Possit ut imperio clarior esse meo :  
Et titulis ornata nouis, sustollere cœlo  
Conspicuum meritis & pietate caput.  
Hinc mea non unq; uirtuti prompta uoluntas  
Defuit, & laudem qui meruere, uiris.  
Præmia distribui, maioracq; nomina, si quis  
Ante sua celebris nobilitate fuit,  
Moenibus, & pulchris ornauit legibus urbes,  
Iudicij, uera religione, fide.  
Et quæ Pontificum sæuis expulsa gemebat  
Fraudibus, est studiis pax reuocata meis.  
Magna quidem gessi : sed non tua uiuida uirtus  
Præmia quæ meruit, me tribuente, tulit.  
Namq; mihi semper fueris cum fidus Achates,  
Viacq; consilij sint mea cepta tuis :  
Vix equidem dignas possum tibi reddere grates,  
Ad quem pars laudis pertinet ampla meæ.  
Tempore quo nobis Othogarus Marte feroci  
Opposuit regni sceptrā superba sui :  
Tu nostras aquilas Romanacq; signa secutus,  
Officio magni functus es ipse uiri.

Quum

Quum binas acies distingueret algidus Ister,  
Et fremerent motu bellica castra graui.  
Tu sacra posthabitis suadebas foedera bellis,  
Boiorum regi pacis & autor eras.  
Ille mihi supplex demisso poplite factus,  
Ceui decet, officij signa fidemq; dabat:  
Hic ubi, quam uulgus Cambergam nomine dicit,  
Insula Danubij cernitur inter aquas.  
At pia rupisset quum foedera, rursus & armis  
Aufriacam late depopularet humum:  
Aspera tu mecum discrimina martis adibas,  
Magnanimus ruptae pacis & ultor eras.  
Vincebat causae bonitas: & perfidus hostis  
Sanguine periuro commaculabat agros,  
Ergo tibi faueo: nec te mihi carior alter,  
Dum manus hae patriae sceptrum tenebit, erit.  
Ac tua quo possit magis inclarescere uirtus,  
Et fieri officij gloria nota tui:  
Nunc tibi largimur titulos illustreque nomen  
Principis, ac tanto congrua iura loco,  
Addimus & titulis, urbes, populosque regendos,  
Norica montanis quos fouet ora iugis.  
Addimus hanc ipsam, qua nil formosius, urbem,  
Quaque mihi nunquam gratior ulla fuit.  
Hoc quoque uexillum tibi tradimus: atra leonis  
Membra, quod eximio picta decore refert:  
Quatenus

Quatenus & clypeus pulchra se terminat ora,  
Cum niueis rubri signa coloris habet.  
Hinc tua posteritas titulis opibusque fruatur,  
Quas tibi consilio conueniente damus.  
Vosque colet ueniens & laudibus efferet aetas,  
Praestantes inter Marte togaeque uiros.  
Porro nec immerito tantae dominaberis urbi,  
Illius atque manu frena potente reges.  
Namque Columna quum sis de stirpe creatus,  
Qua nil nobilius Martia Roma tenet:  
Condere quam clari primum coepere Quirites,  
Urbs erit imperio subdita iure, tuo.  
Adde quod es nobis materno sanguine iunctus,  
Nostra soror grauidam te quia uentre tulit.  
Et magis idcirco, generis si commoda spectes,  
Debebas dono splendidus esse meo.  
Ergo muneribus feliciter utere nostris,  
Magne Comes, Princeps optime, care nepos.  
Ac duce iusticia superisque fauentibus, urbem  
Non nisi quae iusto est principe digna, rege.  
Sic ait, & scriptis promissi pondera firmat,  
Plausus & a tota nobilitate uenit.  
Accipiunt dominum ciues, & pectore laeto  
Committunt fidei se Friderice tuae.  
Profuit haec illis nouitas: defendere Princeps  
Namque potens melius sustinet urbis opes.

B Nec

Nec paruas habuit uires Zagarollius heros,  
 Nam quoque diuitijs inclytus ante fuit.  
 Tempore quo perijt Princeps Meranicus Otto,  
 Terra Nariscorum quo Duce sospes erat:  
 Contulit huic Cæsar, quæ lambit flumine Moe  
 Oppida, quæ uitreis Salaque stringit aquis. (nus  
 Nam sibi confortem thalami Fridericus Elissam  
 Iunxerat, è socia quam tulit Otto parens.  
 Otto parens regum celebri qui sanguine natus,  
 Finiuit stirpis tempora longa suæ.  
 Sic ubi decrescit studium pietatis & æqui,  
 Funditus intereunt stemmata clara Ducum.  
 Rursus at emergunt proceres, quos ardua uirtus  
 Afficit, & sanctæ religionis amor.  
 Qualis cum fuerit moderator Noridos urbis,  
 Publica res illo salua regente fuit.  
 Et meritò luxit matura morte peremptum,  
 Non secus ac priscum martia Roma Numam.  
 Ipse pias urbi leges, natosque reliquit,  
 De quibus hinc aliquid nostra Thalia canet.

Fridericus

FRIDERICVS SECVNDVS,  
 BVRG GRAVIVS NORIBER-  
 gensis, Comes in Zollern.

Non minor insigni Fridericus patre Secundus  
 Et belli studijs & grauitate fuit.  
 Hunc etenim genitor summam uirtutis ad arcem,  
 Per iuga præruptis duxerat alta uijs.  
 Hinc sapiens, fortis, constans, defensor honesti,  
 Sedulus & uindex improbitatis erat.  
 Læta quidem blandæ magis oia pacis amabat,  
 Quam madidum fuso sanguine martis opus.  
 Attamen indigno commorus ab hoste, ferebat  
 Optatam patriæ iustus & acer opem.  
 Sæpius augustis pro regibus acria fecit  
 Prælia, sanguineam uisus habere manum.  
 Fracta erat infelix longis Boemia bellis,  
 Viderat & casus per sua rura graues.  
 Iamque Carinthiaco sub principe mœsta gemebat,  
 Scilicet infandum ferre coacta iugum.  
 Quum regni proceres adeunt te maxime Cæsar,  
 Conantes lapsis addere rebus opem.  
 Et primum referunt clades, & flebile fatum,  
 Clara Bohemorum quo laceretur humus.  
 Inde patrociniò tradentes seque suosque  
 Cæsaris, auxilium supplice uoce petunt.

B ij Septis

Septimus Imperij fasces Henricus habebat,  
Qui Luceburgiacò stemmate natus erat.  
Hic illis studiumq; suum pronumq; fauorem  
Obtulit, & fidei pignora certa dedit.  
Quum Boijs etenim superesset regia uirgo,  
Prædita laudatis moribus, ore decens:  
Illam connubij sociauit foedere nato,  
Et casto Nemetum iunxit in urbe toro.  
Protinus at sponsus regnum dotale petiuit,  
Suscipiens forti bella gerenda manu.  
Accessitq; tuas nemorosa Bohemia terras,  
Stipatus ualido milite, promptus equis,  
Talia conanti fuit auxiliaribus armis  
Dedita magnorum pulchra corona Ducum.  
Quos inter studijs bellorum Noricus heros  
Inclytus, excellens consilioq; fuit.  
Hunc igitur meritò coluit Mauortia proles  
Cæsaris, & lateri iussit adesse suo.  
Hoc sine nil gestum memorabile: primus in hostes  
Irruit, & larga cæde piuit humum.  
Terruit infestis Cuthnarum moenia signis,  
E quibus egressus non benè miles erat.  
Miles in aduersum temerè qui prodijt agmen,  
Et retulit celerem fusus ab hoste pedem.  
Deniq; Boiorum quòd pulso regna tyranno,  
Tradita cum sceptris sunt tibi lane suis;

Non

Non minus effecit Friderici bellica uirtus,  
Quàm tibi quæ thalamo iuncta puella fuit.  
Virtus digna cani: uenturis prodite seclis  
Pierides, tanti martia gesta uiri.  
Interea Cæsar lumen uitale reliquit,  
Et sensit clades Teutonis ora graues.  
Namq; duo reges discordi uoce creati,  
Sceptrigeras bello conseruere manus.  
Ambo pares animis, clari uirtutibus ambo,  
Ambo Ducum prisca nobilitate sati.  
Alter enim Bauaro de sanguine duxerat ortum,  
Austriaci proles stemmatis alter erat.  
Crinibus ignitis apparuit ante Cometes,  
Conscijs immensi qui solet esse mali,  
Quàm distracta fuit tanto Germania motu,  
Et passa est annis damna cruenta nouem.  
Ancipiti primum pugnarunt agmina marte,  
Humidus Eslingæ qua rigat arua Nicer.  
Post etiam roseo tinxissent sanguine Rhenum,  
Ni fera maturè pugna dirempta foret.  
Magnanimo tandem congressi milite reges,  
Ambiguus finem proposuere malis:  
Ardua miscentes consertis prælia dextris,  
Quà Bauarus patriã uomere scindit humum.  
Adfuit Austriacis anceps uictoria primum,  
Hungarus hostiles quando repressit equos.

B iij Ipse

Ipse sed ut uires & fortia corda remisit,  
 Palma penes Bauarum sanguinolenta fuit.  
 Duxerat ad pugnam turmas Fridericus equestres  
 Noricus, & belli nobile fulmen erat.  
 Quo duce, magnificum Ludouicus ab hoste tri-  
 Rettulit, imperij rexit et unus opes. (umphum  
 Austriacos etenim longo certamine fessos,  
 Compulit insueta uertere terga fuga.  
 Desertumq; Ducem cepit: qui talia fertur  
 Victori, placido uerba dedisse sono.  
 Me tibi captiuum princeps fortissime listo,  
 Parce sed o uitæ uir generose meæ.  
 Accipe, quo multos Orco demissimus, ense,  
 Hoc spoliū de me uictor & hostis habe.  
 Annuit hic: saluumq; tibi Ludouice repente  
 Tradidit, ac factis munera digna tulit.  
 Finis erat bellis, rursumq; reuiserat urbes  
 Blanda quies, olea paxq; reuincta comas.  
 Ergo domi uitam princeps Nornbergius egit,  
 Dum uenit tacito mors inopina gradu.  
 Mars doluit, nulla mortem uirtute moueri,  
 Sed rigida fortes tollere lege uiros.

Philip

PHILIPPVS MELANTHON  
 REVERENDO VIRO D. GEORGIO BVCHHOL-  
 cero, pastori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa  
 S. P. D.

**R**euereunde uir, & carissime frater, Vult Deus ex-  
 tare multas Regum & Principum Historias: pri-  
 mum ut sint testimonia præsentia Dei in Imperijs:  
 Deinde ut sint commonefactiones de uirtutibus. Et  
 profectò optarim, multarum familiarum Germanica-  
 rum res præclarè gestas, notas esse. Valde igitur probo  
 consiliū Iohannis Schofferi, uiri excellentis ingenio  
 & eruditione, quam & integritate morum, modestia  
 & pietate ornat: quòd ex antiquis scriptis erutas hi-  
 storias Principum Marchiæ profert: teq; oro, ut eum  
 illustrissimis Principibus Electori & filio commendes.  
 Mitto & scripta contra Staphylum. Exemplum alte-  
 rum dabis illustrissimo Principi. Bene uale & re-  
 scribe. Die 12. Aprilis. Anno 1558.

IOHANNES STIGELIUS  
 Iohanni Schoffero S.P.D.

**H**odie, quæ est altera dies Pentecostes, reddidit mihi  
 nunciū tuū, Marchionum Genealogiam à Mu-  
 sis tuis illustratam, & libellum carminum. Hæc  
 scripta amplector, & propter ingenij tui suauitatem, &  
 significationem officij, Gratulor autem uobis, qui cho-  
 ros ducitis poëticos, literis & artibus ingenia excolen-  
 tes,



tes, sine inuidia & odio præsentis Marsyæ. Mihi  
similis fortuna non est, itaq; propemodum conticesco.  
Te hortor, ut pergas illustrare carmine τῶν ἄξιων θεῶν  
ἀθανάτων ἢ ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν. Gratias ago Musis  
tuis pro munusculis. Bene uale.  
Ienæ. 1558.